



Matthæus ille ex uilla Mülebach in Vallesia natus & educatus fuit. Is statim à teneris annis bonis literis operam dedit, atq; à Nicolao Schiner patruo & Episcopo Sedunensi paulatim ad dignitates & altiora officia promotus fuit. Erat autē is magna prudentia & singulari eloquentia præditus, ita ut alios eius temporis sacerdotes longè superaret. Itaq; Nicolaus ætate confectus huic Matthæo suo ex fratre nepoti Sedunensem Episcopatum adhuc uiuens gubernandum concessit, Anno millesimo quingentesimo. Quamprimum eum locum nactus esset, Maximilianus Cæsar eum in suas partes cōtra Gallum attraxit, atq; ipsius opera plu-

rimūm in Mediolanensi ducatu defendendo, & Sfortijs recuperando usus fuit. Itaque primò Matthæus Georgium Superfaxo strenuum militem, sibi familiarem, cum tribus millibus Vallesianis in Insubres misit, ut loca quædā ducis Ludouici nomine occuparet. Huic cum res succederent, magnam auctoritatem Matthæus & Georgius nacti sunt. Cum ergo Iulius secūdus papatum inisset, atq; sese fœdere contra Gallum Cæsari iunxisset, ut eò commodius huius Matthæi opera uteretur, eum Cardinalem creauit, atq; Legatum ad Heluetios constituit. Huius industria & indefesso studio effectum, ut Heluetij cū pontifice & Cæsare anno 1510 fœdus contra Gallum inirent, qui Mediolanensem ducatum in suam potestatem redegerat.